

conservat. Quo dixit Hermes omnia animata egere. Et quem Democritus, animum appellavit mundi. Et Stoici, mundi spiritum per omnia meantem, et omnia vivificantem. Et cum eis Aristoteles vocavit spiritum, et potentiam omnia penetrantem, et stirpibus, et animantibus spiritus præbentem. Et ut Vergilius cecinit:

”Cælum ac terras, camposque liquentes.

Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra

Spiritus intus alit. Totamque infusa per artus.

Mens agitat molem, et toto se corpore miscet.”

Et alio item carmine:

”Deum namque ire per omnes

Terrasque tractusque maris, cælumque profundum

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

Quemque sibi tenues nascentem arcescere vitas.”

His forsitan, illa Damasceni, et Nazianzeni consonant, quæ ante attulimus:

Πάντα τῇ οὐσίᾳ πληροῦν: πάντα συνέχον, πληρωτικὸν κόσμου κατὰ τὴν οὐσίαν.

“Omnia essentia implens: omnia continens, impletivus mundi per substantiam”.

Cui consonum et illud:

”Spiritus domini, replevit orbem terræ.”

Sed cur orbem terræ tantum? Non et orbem aquæ? Et orbem æris? Et orbem cœlestes omnes? Et orbem Empyreum? Et orbem luminis primarii? Quem necessario sua præsentia replet, et uti spiritus, et uti lux, et uti ignis, et calor. Qualia voluit etiam extra profundum quaquaversum extendi. Nam cum ignis in profundo, ignis esset idea, atque ideo luminis et caloris, necessarium fuit, extra profundum, ab eo ignem formalem esse, lumen scilicet et calorem. Atque ita lumen procreatum, calorem sibi congenitum, a causis primis traxit. Vel enim hæc duo, in suis causis fuere, vel in causis non fuere. Si dicamus non fuisse. Iam Deus non erit omnium causa, omnium conditor. At hoc, et nefas est dicere. Et est contra toties demonstrata. Tria ergo hæc sunt, primo consequentia, spacium infinitum, in eo lumen infinitum. Et in lumine calor. At hic finitus ne? An et ipse uti comites sui, infinitus? Hoc est rationibus discutiendum. Demonstratum iam est, lumen esse per totum spacium diffusum. Neque ullam esse spacii partem, in qua non sit lumen. Neque in parte ulla lumen, ubi non sit atiam spacium. Calor autem lumini congenitus, si toti lumini est congenitus, per totum spacium necessario erit fusus. Horum enim alterum ratio dictat esse necessarium. Vel enim lumen totum, calorem habet comitem. Vel pars tantum una luminis est a calore comitata, pars vero alia non est ei comes. Si hoc detur, lumen non erit sibi toti simile. Quia parte habeat calorem comitem: parte alia non habeat. Atque hoc obstaculo aliquo eveniet? At quod obstaculum ibi ab initio, huic rei fuit, ubi nullum erat obstaculum? Et lumen quod ibi erat, sui natura obstat nemini. Ergo sublato impedimento, lumen totum omnibusque sui partibus, simile sibi fuit. Partium igitur singularum vires quoque erunt similes. Omnibus ergo luminis partibus, calor erit congenitus. Ab omnibusque similis emittetur. Calor igitur, quia sit toti lumini congenitus: lumen autem congenitum spatio, necessario erit infinitus. At cum omnibus luminis partibus calor sit congenitus, et æque ab omnibus emittatur, in quæ nam emittetur, vel corpora, vel loca? Extra spacium nequaquam. Nulla enim extra spacium, sunt vel corpora, vel loca. Extra lumen iterum, nequaquam. Totum enim lumen in spacio est. Et non alibi. Intra ergo et spacium, et intra lumen. Et intra etiam se ipsum, quia illis ambobus, ipse coextenditur. At emissus, quoquoversum hic calor, ociabitur ne, an aget aliquid? Ociari eum nescire cernimus. Aget ergo aliquid. Idque necessario, vel in se ipsum tantum, vel tantum in lumen, vel in spacium tantum, vel in horum duo. Vel etiam in tria semetipsa unita, spacium ergo calet. Lumen ergo calet. Calor ergo calet. At nulla res, sui natura, in se ipsam agere videtur. In aliud ergo aget. At non in lumen a quo ut a proxima provenit causa. Neque quicquam in suam causam agere,